

110

AD IECTO PANE ET VINO. Plusquam justum epulum distribuit C. Aufidius. Nam præter decem denarios singulis Decurionibus, quinque Augustalibus, tres Plebi, panem, & vinum omnibus dedit. Panis & vini largitio habetur & in Gruter. p. CCCXLVII. r. CVIVS DEDICAT. DECVRIONIBVS ET LIBERIS EORVM PANEM ET VINVM ET S-S XX Ñ ITEM MVNICIPIBVS S-S III N DEDIT.

ITEM OLEV. Crescit adhuc EXIMIA C. Aufidii LIBERALITAS; oleum enim quoque dedit in publicis balineis ad lavationes. De olei distributione plura erudite Burmann. de Vectigal. dif. III., sed in eo fallitur, quod a Nerone primum ad voluptatem oleum datum scribat, quum diserte testetur Dio lib. XXXVII. id a Fausto Sullæ filio antea factum. *Sub idem tempus*, inquit, (Afranio & Metello Cof.) *Faustus Sulle filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populamque lauto convivio excepit, iisque balnea & oleum donavit.* Non raro in lapidibus antiquis oleum populo divifum vidimus ad usus, ut puto, vitæ necessarios: in balineis tamen ad voluptatem, duplex est in Grut. exemplum: primum p. CCCLXXVI. 5. ibi L. Cæcilius Cilo HS Ñ XXXX Municipibus Comensibus legavit QVORVM REDITV QVOTANNIS PER NEPTVNALIA OLEV. IN CAMPO ET IN THERMIS ET BALINEIS OMNIBVS QVAE SVNT COMI POPVLO PRAEBERETVR: alterum p. CCCLXXVIII. r. ibi L. CAECILIVS OPTATVS jubet die IIII. Iduum Junii EX -X-CC OLEV. IN THERM. PVBLIC. POPVLO PRAEBERI. Omnium vero luculentissimum in Fabrett. Inf. Dom. cap. VI. n. 164. ibi L. Casidius Dexter Dedicatione, statuz fortasse, DECVRIONIBVS VIR AVG. ET. PLEBI. VRB. EPVLAS DEDIT ET OLEV. IN BALINEO POPVLO ITEM PLEBI PANES ET VINVM.

BALNEIS. Balineis. Hanc vocem antiquam esse testatur Varro lib. VIII. de L. L. cap. 41. non raro in lapidibus usurpatur, & quidem elegantissime. Caterum non ex hac Inscriptione tantum notæ sunt balineæ Pisarenfes, sed & ex Ciceron. Philipp. XIII. 12. *Alter*, inquit Cicero, *est designatus (Tribunus ab Antonio) Visejus nescio quis, fortis, ut ajunt, latro, quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem:* hanc enim germanam esse loci hujus lectionem nullus dubito, licet secus quidam senserint. Illarum rudera A. D. 1532. dum Sernus Dux Franciscus Maria I. novâ murorum munitione Urbem